

bellicosum ducem Karolum Burgundie, ut sibi succurreret,
sicut ante aliquot annos succurrit episcopo Leodiensi.
Qui ^{et} principibus archiepiscopi obtemperans, non propter
thesum tantum, venit circa festum sancti Jacobi apostoli,
~~cum~~ cum magno exercitu, et obsedit civitatem Nussensem fere
per annum, anno videlicet Domini 1474. Quapropter civitas
Coloniensis cum consensu capituli in summa ecclesia misit
pro capitaneo Nussensibus illustrem dominum Hermannum
Lantgravium Hassie, decanum ecclesie sancti Gereonis martyris.
Qui intravit Nussiam civitatem cum satis magna comitiva equitum
pedumque, In qua civitate multas angustias periculaque susti-
nuit, semper discordantes concordans ac sana consilia prestans,
totamque spem suam in Deo. sanctoque Quirino figens.
Defenderuntque se nussenses fortiter, nunc sagittando,
nunc fundendo aquam calidam calce mixtam et stercore hu-
mano super eos. Exierunt etiam extra portas ad eos iugulandas,
captivantesque multos, ita ut dux miraretur animositatem civium civi-
tatis, nec umquam ei simile contigit. Sustinuerunt tamen
magnam penuriam in victualibus in civitate, quia comederunt
quingentos equos, absque aliis porcis, vaccis et ~~ovibus~~ ^{ovibus} capris in-
finitis. Civitas Coloniensis cernens animositatem ~~civitatis~~ Nussien-
sium, et percipiens penuriam eorum, nec valens eis succurrere
propter arctam obsidinem undique, misit cum magnis expen-
sis ad imperatorem Fredericum, qua tenus misericordia motus,
que ⁱⁿ misericors fuit, dignaretur descendere et succurrere civitati,
liberando eam ab obsidione, non solum propter destructionem civi-
tatis Nussensis, sed propter pericula infinita totius episcopatus.